Mag. St. Dr.
6379
kat. komp.
BIBLIOTHECA UNIV. JAGELL. CRACOVIENSIS
HISTORIA II

Acta novissima Virtutum Pietatis, Fidei et Concordiae actricium contra Rationem Status etc. 1658.

XXXIX. f. 69.

ACTA NOVISSIMA
Virtutum
Pietatis, Fidei, & Concordiæ
Actricum:
Contra
RATIONEM STATUS,
Et earum
RECONCILIATIO
Coram Tribunali Apollonis,
declinante Majo,
ANNO cIɔ Iɔc LIIX.

F. XII. 20 k

Relatio ex Parnasso 18. Maji Anno 1658.

VErnantis Anni delitiæ invitaverant Apollinem, ut pertæsus claustrorum Parnassi, fastidium tristis Hyemis in virentibus pratis, cum suis virtuosis abstergere, torporemq; contractum depurati aëris suavitate refocillare, apud sed constitueret, conviviumq; solenne & anniversarium indiceret. Publicum ergò in crastinum statutum gaudium, Principibusq;, Heroibus, Politicis, Historicis, Philosophis, Poëtis, omnibus, qvos virtus in hunc locum suavissimum evexerat, qvibusqve Divûm consortio frui contigerat, ab Apolline invitatis, severè interdictum, ne qvisqvam mœstitiæ indulgeret, rancoremve animi foveret; Philosophi & Politici nodosis & spinosis abstinerent qvæstionibus & altercationibus, Historici & Poëtæ lætis recrearent reliqvos narratis. Electus ad hoc tripudium vallis juxta Heliconis juga, qvem mille millium florum tapetiis & diversicoloribus herbis Natura instraverat, limpidus & per alta montis cacumina desiliens rivus medium interluebat, tremuloq; murmure per saxa serpens, astantium blandiebatur auribus. Parnassi cacumina occidui solis avertebant æstum, tepentes Zephyri circa montem errantes, sæpiusq; repercussi, in hac valle, qvasi in sinu colligebantur, convivarumqve leni motu turbabant crines; Echo vix qvæsita terq; qvaterq; sponte garrula reddebat voces, Musicamqve provocabat. Nec mora posterum (qvi indictus erat convivio) vix Aurorâ designante diem, proruunt præeunte Vate acervatim omnes, etiam, qvibus profunda meditatio ullam recreationem multis retrò annis denegaverat. Agmen claudebat Diogenes vas suum rotans & versans, qvi ex commiseratione in Parnassum receptus, ut haberent, qvem Cynicâ obstinatione vanum

num riderent, locusq; ei datus ad portam, cum canibus excubantibus, qvibus in vitâ simillimus fuit. Lætatus Apollo suorum exporrectâ fronte & alacritate, ipsemet locum convivio metans, convenientem mensis designat, & ut qvisqve se hilaritati componat, iterum iterumq; hortatur. Nec mora, per apertos campos & prata virentia decurrunt, pars amicis confabulationibus, pars ingeniosis dictis, pars admiratione naturæ vernantis defixa, pars instruendæ Musicæ, pars depurandis & coronandis poculis & vitris, Nectar vinumqve degustandi (inter qvos pleriq; erant Germani) desudabat: omnes una defæcandi affectus, frontemqve explicandi habebat cura & labor. Qvid multum? ita consumpto & transacto mane, tempus approqvinqvabat prandii, apparantur sub aperto cælo mensæ, pleræqve juxta rivum in prato, floribus gramineqve consito & arboribus umbroso, præter solius Apollinis cui ex purpurâ auro intertexta, tentorium est erectum. Epulis itaq; lautioribus, qvàm aliàs moris, allatis, dapibusqve instructis mensis accumbunt omnes; & nauseâ ventriculi prævio motu per totum mane purgatâ, & suavitate loci & Veris refocillatâ mente, avidum variis stomachum laxant saginis, lautitiisqve gulæ, plus qvàm Parnassi sobrietas aliàs admittebat, indulgent. Nec cessabant, qvin pocula alternatim, prout cujusq; ferebat affectus, sibi invicem propinarent & spumantes Scyphos resupinatâ cervice evacuarent: Imò nonnulli crateres non mediocris capacitatis pro memoriâ magni Vatis, reliqvorumqve Divûm, in orbem redeuntes, siccare non erubescebant. Jamqve omnes solutiores vino affectus, austeræ rationis jugum paulatim excutiebant, garrula lingva in facetias proruebat, morosisq; etiam Stoicis & Senibus lenta ad risum ora invitis referebat. Ut in pauca verba contraham, omnia in lætitiam & hilaritatem diffluebant, resonansq; Echo, murmur gaudentium & musicæ voces super universam vallem effundebat; Famaq; erat vix multis retrò annis tanto omnium consensu, virtuosos exultâsse.

Cum ecce à custodibus Parnassi, advenas è Germaniâ in liminibus forium hærere refertur, suppliciterq; orare, ut maximus Apollo admittere dignetur, & licet solenne festum & tripudium celebrari iis, explicatum; nihil tamen moveri, sed ardentiùs instare, brevibus se expedituras, rem esse tàm arduam, qvæ nullam dilationem

recipi-

recipiat. **Ad hoc paululùm commotus Apollo; Scio, qvid res sit,** inqvit, in angustiis versantur Virtutes, Sorores charissimæ, à corrupto Seculo omni ignominiâ afficiuntur. Succurrendum! Sed hodiéne interturbanda lætitia publica? Cùm præsertim virtuosos meos in consilium adhibendos, plus nimis litâsse Baccho, videam, Rumor interim ad convivas omnes, aliqvid ardui in tentorio Apollinis tractari, penetraverat, cùm subitò vix apposita aut degustatâ secundâ mensâ advolant omnes, partim novitatis amore, partem vino acti, reliqvi metu defixis oculis custodem circumstant, qvidq; novi, sciscitantur, inter qvos & Tacitus, Apollini ob acumen ingenii apprimè charus, qvi, cùm videret, plerosq; frontem in rugas complicare, publicumq; abrumpi gaudium, inq; seria retrahi, & tacitè indignari; Ita Phœbum adoritur: Magne Pater, virtuosos tuos dolere, potiusq; genio indulgendum suasuros, qvam causam hanc hodie suscepturos, video. Verùm ex institutis tuis habeo, omnes dies inter nefastos habendos, in qvibus nihil virtuosi peractum. Cumq; hodiè ventri & gulæ indulserimus, dignum est, ut ad exulum causas audiendas horulam impendamus; Nec verendum temulentiâ aliqvos impediri, cum Germanorum meorum mores jam olim noti, qvi res maximi momenti inter pocula tractare consveverunt, qvod sciant, absconditos cordis recessus vino referari, nihilq; vafricie tectum aut malitiâ absconditum manere; sed ex fide cuncta tractari & prout verba sonant, ita etiam animum & sententiam esse, Hinc risu excipiunt exteros, qvi ingentem gloriam in sobrietate perpetuâ somniant, cum sciant, non amore virtutis, aut temperantiæ studio id fieri, sed metu, ne neqvitiæ, calliditati & mille vitiis, qvibus scatet, totumq; refertum est corpus, mero aperiatur porta, claustrisqve tantâ anxietate noctes diesq; custoditis, temulentiâ effractis, vitia plenis proruant alveis, cujus securi & sinceræ simplicitatis conscii Germani, solutiores meritò sunt in pocula. Ita nos, qvibus nihil tecti vino remansit, procul ab irâ, amore, odio, solo Justitiæ muniti, Virtutum audiemus causas, & qvia è Germaniâ veniunt, Germanorum more judicabimus aperti. Tu modò, Pater Magne, concede aditum, & supplicantibus subvenire dignare. Motus Apollo tersâ Taciti oratione & candore Viri: ita est, inqvit, æqvius judicamus liberæ rationi indulgentes, qvàm ubi omnium aditibus sensuum, per

 affe-

affectus obsessis, compedes rationi injectæ videntur. Otius vocate exules, de simplici & plano sub aperto sidere causam cognoscam, & forte decidam. Missusqve Cicero & Legatus, qvi eas qvàm primùm adducant. Parvâ interjectâ morâ, in orbem collecto interim Virtuosorum agmine, Phœboqve in thronum sub tentorio collocato, comparent honesto & ferè Vestali habitu, prædictæ hospites. Cumq; proximè throno admotæ, in genua procumbunt, defixis in terram oculis, & fronte ad commiserationem compositâ; tandem *Fides* qvasi è nube oculorum Sidus attollens, sic ora resolvit. Summe Pater, Parens Vatum, advolvimur pedibus tuis è toto ferè orbe extorres & exules, *Pietas*, *Fides* & *Concordia*, virtutes tibi non ignotæ. Et licet incivile, à nobis publicum interrumpi gaudium, locumqve hilaritati dicatum, sqvalore qverelarum fædari, summæ tamen omnemq; moram respuenti necessitati, pro cognitâ benignitate hoc Te condonaturum speramus. Nosti, inqvit, Alme Parens, à Rerumpublicarum ferè primordiis, Matronam fuisse nobis sociam, qvæ pro diversitate nationum, varia qvidem sortita est nomina, sub *Salutis* tamen *Publicæ* nomine olim ut plurimùm venit, cui pleriqve populi fasces Rerumpublicarum crediderunt, supra omnes Reges, Principes & Leges Dominam, Fœderum, pactorum, induciarum arbitram, Pacis Belliq; Moderatricem, unanimi consensu constituerunt; his tamen expressis Legibus, ut nihil statueret aut svaderet, nisi in consilium adhibitis nobis sororibus, & qvasi Senatus-consulto facto, Ipsa saltem exeqveretur decreta, cum expressâ comminatione, si nos lædat, potestatem omnem illi abrogaturum iri. Illa ipsa Matrona licet diu intra præscriptos carceres sese continuerit, tractu tamen temporis, paucis potissimùm retrò seculis, tanto inflata fastu, tantos sumsit spiritus, & tàm arrogans est facta, ut non solùm nostrum non ampliùs exploret judicium, sed etiam si contradicamus, nos manifestò lædat, injuriis proscindat, pedibus conculcet, & à consortio omninò excludat. Cum Naturâ unà & nomen mutavit, jamq; musteo nomine *Ratio Status* à modernis Morosophis Politicis vocari amat, tàm vulgari nomine, ut cum olim piaculum foret impuris aut aliis, qvàm Principum illam contrectare manibus, hodiè omnium Scholarcharum buccinis decantetur, flagitiiqve cujusq; privati sit patrocinium; Illa, inqvam, *Status ratio*, olim sanctimoniâ

vitæ

vitæ clara & celebris, hodiè manifestò cum *Privato commodo & occulto Odio* notis aulicis, scortatur, inqve omni voluptatum genere volutatur, assedis factis & continuis pedisseqvis *Ambitione, Avaritiâ*, & *Invidiâ*, cum qvibus heu! Regum & Principum animos ita fascinat, ut nos, ubiq; ludibrio habitæ, in pannis & inopiâ vitam vivamus miserrimam. Illa ipsa est, qvæ Reges & Principes inter se committit, bellum ex bello serit, delubra tua vastat, gentes omni calamitatum genere affligit, florentissimam Europam, prompto Marte & Bellonâ depopulatur, virgines prostituit, senes mactat, juventutem miserrimæ servituti Barbarorum aut crudelissimæ morti tradit: Hæc Oceanum sangvine æstuantem, maris Balthici littora cruore spumantia, Vistulam truncis inhumatorum corporum artubus refertum, in mare usqve detulit, ludentesq; Nereides terruit, Tamesin, (ut sit testis simul sui pudoris) rubore perfudit. Paucis, tales intulit Europæ Faces, qvæ nec urbium concidentium ruinis, nec totis cruoris fluminibus restingui possunt. Sola nobis hactenus Germania superfuit, qvæ licet etiam hujus meretriculæ bonam partem infecta sit & intoxicata; *Mihi* tamen, *Pietatiq́;* tutum semper apud qvosdam præbuit domicilium, licet *Concordia* pessimo hactenus loco sit habita, viximus tamen in ea, intuitu aliorum Regnorum utcunqve contentæ, restitimus illi bestiæ pro virili, qvandoqve enim non omninò obseratas Principum etiam infectorum offendimus aures. Postqvam autem, alme Pater, Germania nostra Capite verè pio, bono, justo, pacifico orbata, Vicariisqve Imperii, Electores & Principes, Atlantes illi tantæ molis, & strenui Excubitores pro salute publicâ, de eligendo novo Imperatore Francofurti ad Mœnum convenerunt, ut nutritiis nostris essemus à consiliis, & nosmet eò venimus; Sed, proh dolor! serpentem illam, jam in exterorum Aulis latentem, perq; suos Scortatores, *Privatum commodum & occultum Odium*, & dictas pedisseqvas, jamdum præoccupâsse Principes, & affectuum turbine ita in gyrum agitâsse, ut duplicatâ bis pupillâ cuncta intueantur, limisq; sese invicem respiciant oculis, cælum terræ miscuisse, & Serenissimas qvasdam familias Germaniæ, bello exitiali jamdum implicâsse, nobis ferè aditus omnes, exceptis paucis antiqvæ Virtutis Principibus præclusisse, ibi offendimus. Mæstæ consedimus in Foro, & qvid consilii caperemus anxiæ hærebamus,

usqve

usqve dum à præſente potiſſimum Imper. Vicario (apud qvem nobis tuta ſemper ſtatio fuit) ſpes noſtræ paululum erectæ, ſuaſuq; ejus ad Te, Magne Pater, auxilium & conſilium imploraturæ, ſumus remiſſæ, niſi celeriter revertamur, actum de nobis, actum de Germaniâ. Miſerere ergò, Alme Pater, tuæ Europæ, miſerere Germaniæ, & Principum tantâ devotione te colentium. Intra juſtos carceres reduc illam *Status rationem*, nolumus abrogatum illi Imperium, imperet omnibus legibus, Pactis, fœderibus, Paci & Bello, ſed nobis ſimul in conſilium adhibitis; nobisq; contradicentibus, irritum ſit maneatq; ejus concluſum. Videbis florentem tuam Europam, tuam Germaniam, Barbaros devictos, delubraq; freqventi hominum affluxu, omniq; rerum copiâ repleta, nos modò priſtino honori dignitatiqve reſtitue. Hîc ſpirituum meatûs uberrimus lachrymarum imber obſtruebat, vox deficiebat, gemituqve miſerabiliqve vultu & genis lachrymis fluentibus plus dicebant, qvàm verbis hactenus expreſſerant.

Phœbus, qvi juſtas virtutum qverelas patientiâ & conſtantiâ hactenus ſuſtinuerat, ſibi amplius temperare vix valebat, qvin indignationem animi, juſtumqve dolorem in fronte præ ſe ferret. Totus Virtuoſorum cœtus mœſtus, ſeſe ad votum ſeriamq; deliberationem componens, Statum Europæ ſecum intimiùs volvens, de conveniente remedio erat ſollicitus. Cum iterum Cuſtos Parnaſſi imo pectore anhelitum trahens, accurreret, nunciaretqve adeſſe Matronam ſplendido ſed diverſicolori habitu indutam, ſodalitio non contemnendo, diverſis verò moribus & veſtitu ſtipatam, ipſam ſubfuſcam, nigros in albis orbibus, majeſtati pariter & terrori aptos, ſub contractâ fronte verſare oculos, non ſecus, ac ſi ſanctam ſedem iis inflammare vellet: Petitionem impetuoſam, minisq; mixtam eſſe, ut intromittatur, ſe rem tanti afferre momenti, qvæ ſi in horulam differatur, Orbis periclitari ſalutem: Et licet me ob ſolenne feſtum excuſarem, & res ſerias in craſtinum differrem, illa tamen ſatis pro Imperio jubebat, irem Apolliniq; nunciarem, ſine injuſtitiæ maculâ, hoſtibus ſuis non poſſe vacivas præbere aures, ſibi denegare, ſcire ſatis ſe proſcindi calumniis, Majeſtatem ſuam non ferre, ut diutius patiatur. Apollo licet non parùm importunis hiſce verbis moveretur, imo tamen dolorem preſſit ſub pectore, nihilq; in ſpeciem mu-

tatur.

tatur. Opportuno sanè tempore advenit, inqvit, justum est ut audiatur & altera pars. *Ratio Status* est, qvæ ad thronum admitti desiderat, per exploratores forte compertum est, vos huc accusatum ivisse, ne timete Virtutes, intra limites modestiæ hîc continebo. Continuò jussu Delii Vatis, accitus Hector, Achilles cum Furio Camillo, qvibus seriò mandatum, ocyùs adducerent Matronam, sodalitii verò colluviem à limine arcerent, si qvid regereret, indicent, Leges Parnassi postulare, si qvæ, ad causam dicendam, ad Tribunal accederet, solam comparere debere, nec qvenqvam ex famulitio unà admitti. Commissum negotium summâ alacritate suscipiunt, Interim Apollo intimorum suorum sciscitatus sententiam, si fortè non satis modestè se gerat fastuosa Rea, qvomodo coërcenda, & cunctis placuit, honestâ custodiâ sustentandam, dum ad meliorem mentem redeat, Virtutes interim bono animo esse jussit, se judicem fore haud iniqvum.

Dum hæc aguntur, accedit *Ratio Status*, comitante virtuosorum ingenti catervâ, qvi novitate stipantium sociorum ducti, ad limina usqve processerant. Illa verò Iram & fulgura oculis & naribus spirans, regali pompâ ad thronum usqve Phœbi deducta, ex adverso Virtutibus statuitur. Ubi post breve silentium & torvis in adversarios & circumstantes contortis oculis, leviter inflexo genu, audaci fronte ita exorsa:

Hocne moris magne Delie, si qva Matrona, Diis pauló inferior, tuas accedat aras, innocentiam protectura suam, ut ejus aulici & consiliarii, qvorum similes profectò hic cætus vix habet, tantâ obstinatione, ut preces nil valeant, à foribus excludantur, Solaqve qvasi captiva ad judicium rapiatur? Ita ne hæ Terræ filiæ, qvas præsentes hîc video, te ementitis lachrymis transvorsum egerunt, ut tantæ gravitatis matronam tàm indignè habeas? Profectò si me nôsses intimius, jam meas Calumniatrices, in sqvalidissimo carcere putrescere viderem: Sed qvia Deus es, taceo, luctumqve intra propria viscera recoqvo; Respondebo ad ea, qvæcunqve effutiverunt hæ, Apollo veritus, ne summâ animi impotentiâ ulterius proveheretur, interrupit sermonem & clarâ oris majestate, de sociis & famulitio hoc juris esse hujus tribunalis asserens, qvo præterea cautum, ut si qvis coram judicio agat, ut modestè sua proponat, ab injuriis sibi

temperet, judicisqve arbitrio causam submittat, placidè edocuit. Qvoniam autem te præsentia harum maximè moveri video, secedite, inqvit, sorores paululum, animumqve verno flore recreate. Tu autem, ne sis ignara, qvæ, & qvare te accusent, audies ex libello accusatorio, tuum jam est modestè respondere, factaqve diluere. Imposito ergò silentio, tota accusatio literis excepta, clarâ voce legitur, qvo tempore exulceratum animum vix continens, modò dentibus fremere, ad singula verba gemere, manus modò complicare, modò in spiras contorqvere, oculis, ore, naribus suum prodere furorem, non sustinebat:

Finito libello accusatorio, rupto præ irâ silentio, Hæne sunt illæ calumniæ & prodigiosa mendacia, qvibus castæ hæ scilicet puellulæ sanctas tuas aures polluere non erubuerunt? inqvit: Et licet vix refutatione dignas judicem, Tui tamen in honorem, magne Divûm, & candore meo subnixa, in arenam descendo, non qvod verear qvidqvam majestati meæ derogari posse, sed ut niveam meam simplicitatem (cui etiam levissima macula nocet,) Tibi virtuosisqve tuis probem. Sum, vocorqve veris Politicis *Salus publica, suprema lex*, & communi nomine *Ratio Status*, nominibus meæ Majestati convenientibus, ultimò verò propriissimè. Ego enim sum ipsa ratio status, & qvemadmodum ratio hominem discernit à brutis, ita bruta, barbara, & verè bestialis omnis sine me est Resp. Et si ego Rempubl. ex neglectu deseram, corpus est sine animâ, sine sensu. Mei sunt fasces Rerumpubl. Mihi pacta, fœdera, Induciæ, Capitulationes, Pax, bella, & Armistitia, Libertas & Vita populorum subjacent, in meum dominium consensêre omnes populi, qvibus de meliori luto finxit præcordia Titan. Impurissimum est mendacium, me unqvam *Pietatis, Fidei & Concordiæ* adeò astrictam fuisse Legibus, ut meum Imporium sine illarum consensu irritum fuerit. Ubi misellæ istam legem scriptam habent, aut si habent, ex scriptis per tineas exesis conqvirent, qvorum fides æqvè dubia ac ipsarum accusantium. Consvetudo certè in contrarium est, à Rerumpublicarum incunabulis demonstrabo, mearum fuisse partium, vos in consortium admitterem, nec ne: qvid tritum magis, qvàm illud veterum: *Ut pueri astragulis, ita principes ludunt fide?* qvid familiarius, qvàm *Simulare & dissimulare?* Non nego, in consortio vobiscum fui, sororio amore vos

re vos

re vos amplexa, qvàm diu mihi subjectæ fuistis, qvàm diu simplicitas Gentium vos admittebat, vestrisqve vinculis continebatur. Postqvàm autem neqvitia & calliditas virus suum in orbe spargere, politiciqve emunctioris naris, Pietatem & Relligionem definire cœperunt: Esse inventum Politicum, domandis & in obseqvio continendis populis, præsertim ferocibus aptissimum; Fidem esse simplicium hominum delinimentum vel viscum; Concordiam, subditorum vinculum ad colligendas opes Principi, in casus necessitatis reservandas, aptum. Postqvam, inqvam, ejusmodi sincerationes, ab Orbis gubernatoribus sunt inventæ & Ego mehercle consilia mutare necesse habui. Malitia ergò hominum abrogavit vobis Imperium, non Ego. Negare non possunt, me sæpissimè monuisse, ut ab austera pertinacia aliqvid remitterent, seculo sese accommodarent, hoc honoris semper à me consecuturas, ut omnibus contractibus, fœderibus, conventionibus Bello & Paci præfigantur, caput & calcem illarum impleant, cum centies reiteratâ protestatione, contrahentes omnia illarum gratiâ facere, qvod profectò satis honoris misellis fuisset, modò non tantâ obstinatione antiqvis legibus institissent, & necessitati, prout fert tempus & occasio cessissent. Me anxiè præterea cauturam promittebam, ut in omnibus contractibus, fœderibus, Pacificationibus &c. Verba ita callidè dictentur, ut semper inserantur aliqva, fœdus & fidem eludentia, adeò ut si commodum videatur, utra pars velit, illæsâ pietate & fide, recedere possit. Aut in qvolibet contractu aliqvid faciendum, restituendum, restaurandum, revocandum, me reservaturam, illudqve tàm diu à partibus protrahendum svasuram, dum commodum contravenire videatur. Qvid multis, in omnibus contractibus me semina dissidiorum & rumpendæ conventionis rel cturam spopondi. Aut deniq; si manifestò promissa lædantur, culpam in me recepturam, aut necessitati imposituram, illas innoxias fore, pariqve in existimatione apud mortales mansuras, modò se ad statum cujusqve Populi unà mecum obliqvent, consiliumqve ex re capiant. Sed nihil à morosulis obtinere potui, omnia sana consilia respuentibus; Eò audaciæ tandem provectæ sunt, ut me pedibus conculcare, earumqve legibus ut viverem, coacturæ viderentur. Removi ergò à consortio meo,

molestas & inutiles, interim earum nomina omnibus meis contractibus adhuc constanter inserens, ne reconciliationis spes præclusa videatur. Nullique Principum ideò dicam, scribam, qvod illas colat, modò statui suo serviat, modò servet Rempublicam, sed si hæc periclitentur, eas tàm infesto proseqvor, fateor, qvàm possum maximè odio, conservatio enim status est Deus meus, est norma Actionum mearum & trutina omnium virtutum & vitiorum. Consiliarios, in eorum locum ascivi plerosqve ab *Occasione* commendatos, & ex diversissimis Mundi cardinibus conqvisitos, miros in omnes casus obliqvandi animi artifices, qvos pro diversitate populorum & Eventuum diversimodè adhibeo, in omnibus tamen negotiis, fidelissimos hactenus expertus. Hæc, magne Divûm, nostri diffidii vera & minimè fucata est causa, qvam æqvitati tuæ, omniumqve adstantium judicandam submitto.

Objectas injurias, scortationes, bella, calamitates & nescio qvid non, tantùm abest, ut ad eas erubescam, ut potius mihi gratuler tantas calumnias diluendi coram splendidissimo consessu tempus & locum concedi. Interim peto, summe Apollo, carcere mancipes vilissima mancipia, donec aut probent, aut revocent, aut cautionem præstent. Non enim leve est, tantam Orbis gubernatricem fornicationis arguere. Non nego In familiarissimo cum *Privato commodo* me vivere consortio, nec abs re. Hic enim *privatum commodum* est remuneratio heroicarum virtutum, prudentiæ, & omnium, qvi me obviis ulnis amplectuntur, hocqve Aulico ad corrumpendos inimicorum secretiores, ad penetrandos intimiores recessus pectoris, ad referanda abditiora Principum conclavia, utor sæpissimè. Verùm hocne est vitium, hocne scortatio, si per fidelem mihi ministrum, privatum commodum, aliorum machinationes expiscari possum? O nimiùm terræ affixæ, ò rustica simplex simplicitas! Eadem ratio est *occulti odii*, qvi mehercle Aulicus, inter Virtutes summo meritò collocandus esset loco; Hujus enim tantus est usus, ut vix effari possim: Ille homines invicem diffidere docuit, cum olim sub rudi amicitiæ & fidei nomine, sese invicem decipiendos ultrò propinârent. Postqvam autem prudentissimus hic aulicus meus, corda hominum occupavit, seqve penitius insinuavit, ve-

ra de-

ra demum prudentia nata est. Hoc enim Doctore sumus cauti, diffidentes, omnia verba trutinantes, actiones sub rationis incude probè probantes; hic conjungit animos, si qvis nimiæ fortunæ blanditiis evehatur, hic Europæ Principum à me constitutum æqvilibrium maximè omnium conservat: hic ex amasiis meis longè charissimus, qvi in nullis me anxietatibus deseruit. Nefandi verò à me congressus absint longissimè; Cui tanta Regnorum moles incumbit, spurcitiem ejusmodi vilissimorum & infimæ sortis hominum delectamentum, alto despicit supercilio, & per retorsionem famam communem allego, *Fidem Stupratam à proprio commodo, Concordiam ab occulto odio*, plura non addo.

De pedisseqvis pudet respondere. *Ambitio* est incitamentum ad virtutem; qvotus enim qvisqve vestrûm solo & mero virtutis amore, sine omni gloriæ spe, inter tot tædia, virtutis semitam pressisset? profectò plurimos, absqve hoc, inter omnia vitiorum genera sepultos certò certiùs deprehendissem. Tollite spem gloriæ, virtutem unà tolletis, tristis enim sine cultoribus in solitudine præ mœrore diem, mox obibit supremum Mihi ergò meisq; Ambitio est incitamentum, stimulusqve ad Virtutem acerrimus, longè efficacior, qvàm vestrum somnium, habitus. *Avaritiæ* non dissimilis conditio; Qvos enim nulla virtutis gloria tangi video, eis ad generosa facta inflat animum auri sacra fames, qvæ germana est proprii commodi soror, eidem usui à me destinata. De *Invidiâ* glorior, illa enim procul dubio Virtutis comes, & hoc nomine mihi charior.

Vides ergò, maxime Delie, nec in consortio qvicqvam vituperandum. Ne verò putes, sodales meos inter inutilia pondera terræ connumeranda, Ecce fructus qvosdam non contemnendos: Assiduitate enim suâ, meqve gubernante Æqvilibrium Europæ, (qvæ qvidem pars tua delubra veneratur, barbaros diversâ ratione rego) constituerunt, adeò ut pares potentiâ omnes civiliter inter se vivant Principes; si qvis emergere conetur, aliisqve formidini esse, omnes concurrunt, tanqvam ad restingvendum incendium. Et licet partes qvædam inter se combinatæ videantur, fœderibusqve sanctissimis innodatæ; nullum tamen vinculum tàm firmum, qvin asseclæ mei, si fortuna apud unum nimium fortasse luxurietur, illud rumpant,

intraqve carceres æqvilibrii vel per ſocios, ex hoc capite, reducant. Bella externa ſemper qværenda, qvando inſtant civilia, meum hoc eſt inventum, qvicqvid obſtent Pax, Fœdera &c. nihil moror *Ego ſalus Reipubl. ſuprema lex ſum*, omnibus impero legibus. Ut enim noxii humores corpus languore qvodam afficiunt, & niſi evehantur, omninò inficiunt; Ita Rebuſp. longo otio & felicitate luxuriantibus & à Virtute degenerantibus, catholico purgante, & venæ ſectione, bello externo, intemperiei reſiſto: tympano, tubâqve omnes turbidos, egenos, fucos alieni laboris, & qvi nullam vitæ artem noverunt, qvàm qvâ mors qværitur, peſtes Reip. haud invitos, tanqvam noxios humores, in apertum Martis Campum educo. Hocqve medicamine multas hactenus ſuo humore & ſangvine perituras ſuſtentavi Provincias, Vicinorum verò tàm exacta cura, hoc caſu haberi profectò non poteſt, dum tamen calamitate premo, ſimul doceo, præceptisqve meis impoſterum ad omnes caſus inſtruo.

Jus præventionis: Novum Jus reſtituendi ſemetipſum in integrum, ſine Judicis officio: Repetundarum: Noviſſimum edictum, Uti poſſidetis, ita poſſideatis in perpetuum: Mea hæc ſunt inventa. Qvæ Orbi moderno eſſe proficua, veraqve ſpecifica & appropriata morbis Rerumpubl. qvis non videt? Reſtat, ut innocentiam ab immani calumniâ, à me ſcilicet flammam adhuc tota Regna depaſcentem Europæ illatam, Vindicem. Provoco in hoc capite ad omnes Reges & Principes, eos teſtes allego meæ innocentiæ, Mendacia ſunt, qvæ ex læſo cerebro promanant; qvid enim peccavi, qvid commiſi? Egone Tameſin, Oceanum, littora Maris Balthici, Viſtulamqve fœdavi? Injuriæ meræ ſunt. Non nego, Mars & Bellona miſi ſemper ſunt à latere, ſed maximo Rerumpubl. bono, ut purgem ſordibus, ne noxio & ſuperfluo humore intumeſcant, ſibiqve noceant & propria viſcera arrodant. Et ut exemplum ſaltem allegem, ſub curâ inter alias jam mea eſt Reſp. qvæ perpetuò transverſim in alienas felicitates reſpiciendo limam contraxit pupillam, ſuperciliumqve nimiâ elatione corrupit, qvæ cum faciem admodùm deforment, ad priſtinum ſtatum ſtaturamqve reducere jam deſudo; Sed qvia in tenero acrioribus medicamentis verſor ſenſu, dolore percita, me qvandoqve incuſat. Verùm nil curo, qvi ſuâ te-

merita-

meritate morbum contrahit, medicinam ne aversetur. Et certum est, si pupillam suo vigori restituero, superciliumqve paululum depressero, monitisqve meis pareat, suis intenta, juxta posita, transversaqve negligat, tantâ claritate & formæ excellentiâ Orbem illustraturam, ut qvam ei comparem non facilè inveniam. Innumera meæ solertiæ & prudentiæ exempla pôssem producere, sed vereor, ne patientiâ abutar tuâ, privatoqve colloqvio, si forte digna habeor, reservo.

Qvod verò debitâ destituta vivam gratiâ, in causâ sunt partim calumniatrices hæ meæ, qvæ ubiqve injustam vim conqvirentes, in me odium pro virili detorqvent; partim qvod pleræqve Respubl. neqve morbum cognoscant suum, neqve Curam (qvia, ut in inveteratis malis urendo vel secando, violentiora qvandoqve adhibeo) admittant meam delicatulæ: Inde fit, ut tandem vitiis suis contabescant & lue internâ pereant, qvæ si in tempore medicam adhiberent meam manum, sanitati facilè restituerentur. Qvæ omnia licet sint notiora, nihil tamen magis miror, qvàm Impudentiam qvorundam, qvi qvicqvid præposterè actum, aut formidine patratum, aut ab impotenti animo profectum, aut vehementi affectu abreptus qvisqvam admisit turpius, omnem in me conjiciant culpam audacter, cum tamen pleriqve me ne in consilium qvidem adhibere dignentur, Salutemve Reipubl. omnium actionum decempedam habeant; sed aut propriis animi motibus turpiter ancillando temeritati suæ obsecundant; Aut si qvandoqve, qvod rarò fit, monitum à me, raptim & oscitanter excipiunt, illud tàm absurdè adhibent, ut pudeat monuisse, continuò tamen accusant cibum, licet impuro insinceroqve exceptus Stomacho. Rari profectò sunt & qvos solùm æqvus amavit Jupiter, perpauciqve qvi mea præcepta capiunt, iisqve cum debitâ obœdientiâ obseqvuntur, omnes tamen ignorantiæ, imprudentiæ, temeritati & levitati sacrum meum prætexunt nomen.

Ultimum est, ut de objecto crimine Germaniæ reddam rationem. Non nego superioribus annis me invictam Germaniam variis circumegisse motibus; Sed hæc cura mea fuit, qvâ à Veterno suscitatæ tumultuantia viscera qvieti restituerem. Illatas verò calamitates unicâ Regulâ, qvam nulla Eloqventiæ svada olim persvadere

dere potuit, à me ipso facto edocta, satis conpensavi. Nimirum invictam esse, si concors & omnium membrorum una Salutis publicæ agat cura; Contrà, omnium Exterorum rapinæ expositam, si limis sese invicem oculis membra respicere, Exterorum Patrocinio & tutelâ capi, omniaqve exotica, propemodùm cum jacturâ Bonæ mentis, suspicere pergat. Si non obœdit Regulæ, qvam tanto damno, veram esse edocta est, qvis tàm temerarius, qvi culpam in me rejiciat? Sed reverà saniora spero. De jam intricatâ Familiâ non satis capio, sanctissimèqve juro, non meo suasu, multò minùs jussu factum, & si factum, qvod non spero, me maximè inde læsam. In me tamen recipio, si monitis meis parcat, pacatioraqve amplectatur, licet nulla mea culpa factum, me summâ ope apud Clientes intercessuram, ut explicetur, dumqve vivo, pro salute & pace Germaniæ me excubituram.

Qvid multis, & solem in meridie lucernâ ostendere satago, præsertim apud Te, tàm justum judicem, tàm enim conspicua evidensqve mea est innocentia & vitæ sanctimonia, ut omnium Mortalium oculos claritate suâ perstringat, luceqve frui indignus sit, qvi de ea saltem subdubitet:

Puni ergò, juste Judex, temeritatem Calumniatricum, fac ad genua mea devolvantur, supplices deprecentur, inflictâqve præsenti pœnâ, æternùm tacere, Majestatemqve suspicere & venerari meam, impera. Habebis me ad qvævis negotia expedienda semper obseqventissimam. Hîc conticuit minaciqve fronte sermonem abrupit.

Apollo profundis meditationibus immersum animum vultu prodens, tandem infit: Satis gravi oratione exasperatum animum revelâsti, res ardua est, deliberatione indiget, consultabimus cum nostris, tu modò interim animum recrea cum Virtuosis, voluptateqve, qvam aëris clementia & loci amœnitas tibi suppeditabit, liberè fruere.

Amotis ita à Tribunali partibus, avidi, varioqve affectuum æstu agitati circumstabant Virtuosi, & capita tùm accusationis tùm diluitionis secum ruminantes, ad votum anxiè sese componebant.

Cum

Cum Apollo: Satis jam tributum feriis; ad hilaritatem cui destinata hæc dies revertamur. Mihi constitutum est, antequam acerbiora amplectar, pacis, reconciliationisqve, inter has offensas, prius tentare negotium, & qvia *Ratio Status* ad testimonium Principum Europæ provocavit, potissimosqve Francofurti ad Mœnum congregatos scio, cum seriâ admonitione, eorum mentes exploratum mittam Perseum pegaseo vectum eqvo, cui à tergo insidebit Cicero meus, qvippe senio & labore emaceratus, eqvum non adeò gravaturus, qvi mandata mea Principibus exponent. Vos de commodo remedio este solliciti, hora huic deliberationi indicta esto primo diluculo ad qvam vos accingite, læti interim diem consumite.

Vos verò, maximi Orbis olim Principes, qvibus propria virtus beatis hisce sedibus frui concessit, vobis commendatam volo R. S. vos eam exqvisitissimis excipite verbis, animum byssinis demulcete dicteriis, omnemqve movete lapidem, num in eâ cum Virtutibus reconciliationis desiderium incendere possitis; Materia discursuum deesse non potest, si qvasi aliud agendo & terendi temporis causa, referatis, qvomodo vestris temporibus ad clavum Reipubl. qvidem semper sederit, sed comitata suavissimis Virtutibus, cum qvibus optimè convenerit. Adjungam vobis Historicos & Philosophos, qvi vobis sententiis & aliis necessariis in tempore succurrent. Cavete autem, ne ad nauseam fortè ea reiteretis, sed instar condimenti, (qvod si semper & continuè sumas, esui est ingratum, sanitati noxium) per intervalla interspergatis, taciteqve amorem virtutum instilletis, eo fine lautâ hodiè eam excipite Cœnâ, maximos exhibete honores, Famulitium extra Parnassum, dum aliud decernam, honestè haberi jubete. Vestræ hæc commissa sunto prudentiæ.

Vos Sapientes Græciæ, reliqviqve Philosophi, qvò *Virtutum* mearum æger animus soletur, dolori medela adhibeatur, & spe lactetur, vestra erit sollicitudo: Lætas cum lætis hodiè esse jubete, omnes verò vosmet hilaritati à feriis restituite, & qvàm primùm ad cænam accumbite.

Diſſoluto ita nutu Phœbi concilio dilabuntur omnes, ſeqve ad cœnam præparant, immenſâ tamen variâqve ſpei metusq; reciprocatione, agitatâ mente, plurimumqve de matutinâ alacritate remiſſum, & qvaſi ſufflamine injecto cohiberi animos, erat in propatulo. Qvod ſentiens Delius non diu inhæſit cœnæ, ſed Horizontem lambentibus ſideris radiis, finem eidem impoſuit, receptuiqve canere juſſit. Invitatâ tamen prius R. S. cum Virtutibus, in craſtinum ad ſplendidum convivium & exploratâ mente ſuorum, nunqvid emolliri & inflecti ſentirent animum dictæ Fœminæ, cumqve relatum, morbum nondum deſperatum, obliqvari paulatim mentem in mitiora, injeciſſeqve ſermones, à conciliatione non alienas, plus tamen in receſſu habentes, qvàm externæ frontis gerant, hocqve obſervâſſe, nullâ re magis capi, qvàm honore; Benè, inqvit, Apollo, hæc noſtra erit cura, vos qvàm ſplendidiſſimè ad noſtra deducite Palatia, Vosqve primò diluculo ad ſeria accingite.

Tranſactâ variis animi revolutionibus nocte, primo mane perpaucis in intimius conclave, iisqve ſecretioribus convocatis; Reliqvis indictâ qviete & ſilentio, cauſatus tumultum, & ne ſuſpicari fœminæ, qvod res ſit, ſuboleat ſerias pro ſalue Europæ Phœbus mente agitat curas. Seria profectò erat deliberatio, dignaqve qvæ aureis æternumqve duraturis deſcribatur literis, ſed qvia ſpecialiora, hunc illumqve tangentia immiſcebantur, ob delicatulas, veritatis impatientes, & ad qvamvis admonitionem offenſioni obnoxias aures, narrare ſuperſedeo, velaqve intra juſtæ moderationis limites contraho. Sufficit ſcire unanimi conſenſu ad Francofurti congregatos Europæ Principes decretam legationem, continuòqve accitum Perſeum cum Cicerone, qvibus inſtructionem, ſuâ manu exaratam concordiæ Paciſqve ineundæ puncta continentem, ſeverô vultu tradidit Cynthius; Ocyùs, inqvit, properate Chariſſimi, omnemqve moram, ceu peſtem fugite, Terminus inſtat fatalis, niſi ſe corrigat, meæ Europæ. Noſtis Principem toto Orbe celebrem, Saxoniæ Electorem, maturâ ætate & judicio, Principem, cujus Parentem omnibus Virtutibus cumulatiſſimum, haud ita pridem

dem

dem non ſine tripudio omnium Virtuoſorum, noſtris recepimus ſedibus, apud hunc divertite, Ille Vobis haud invito Collegio Electorali aditum ad plenum conſeſſum omnium, qvibus Faſces Europæ concreditæ, pro Magnif. Vicarii Munere, parabit. Ibi ſi qvid in vobis ingenii Eloqventiæqve, omne effundite. Qverelas virtutum, vaframentum & callida ſubterfugia *Status Rationis* exponite, acta hîc habita, egregiumqve conſortium explanate: Virtutes ſuo honori & dignitati reſtituant, juſtæqve qverelæ ſatisfaciant, meo nomine imperate; ſin minùs, ſi pergant domeſticâ intemperie agitari, ſciant, nulli licet ſtrenuiſſimo, beatis hiſce ſedibus locum me conceſſurum, bella illorum pro Manifeſtis latrociniis habiturum, & in eis occumbentes Diti devoturum; Scire me qvid in Concilio Divûm Magno nuper decretum, ultimum inſtare Terminum, & vitiis, rancoreqve animorum ita arroſa & morbida eſſe Europæ viſcera, ut cuilibet invadenti facilè pateant, fore niſi hoc ipſo tempore invicem concilientur, divosqve laceſſere pergant, ut barbari jamdudum ſpe devorantes eam, undiqve qvaſi relaxatis alveis irrumpant, malèqve cohærentia membra diſcerpant; Patris me loco hactenus fuiſſe, iramqve Divûm placâſſe, hoc ultimum eſſe monitum, ſi ſpernant, Me ipſum bella, peſtem, Famem & vel ex Erebo omnes Furias immiſſurum, qvæ Virtutum injurias ulciſcantur. Nulla ad tantam inſaniam in ſe ſæviendi cogit neceſſitas, ſatis amplum cuiqve aſſignavi patrimonium, & ſi ſunt, qvibus irreqvieta omnis qvies, ſi ſunt putrida membra & reliqva inficientia, ſi ſunt, qvæ ex publicâ clade privatum commodum ſperant, illis ſatis amplum virtutis eſt theatrum Orbis, eant, invadant barbaros fœcundiſſimam Orbis partem poſſidentes, deturbent de ſuis ſedibus, mea delubra vindicent, & ſi propriis toties laceſſiti non moventur injuriis, mea ſaltem cauſa, non ſint glebâ immobiliores. Hoc enim qvotidiè experior, ſi cum barbaro eſt bellum, citiſſimè in gratiam redeunt, ſi cum ſimili, odium eſt Vatinianum, nec niſi morte piandum; Et qvod ferè nefas dicere, nullus ferè Principum Europæ potiſſimorum eſt, qvi non Barbaros molliſſimè habeat, Legatis demulceat & ex-

qvifitiſſimis deliniméntis tractet, modò qvos in proximum immittat, hoſtemqve fatiget, placatiores & paratiores ut habeat, ſecurus de Divûm Irâ, & qvot Myriades animarum Tartaro immergat. Nolo *Rationi Status* abrogatum imperium, nec id deſiderant *Virtutes*, modò illa abroget conſortium vitiorum, inqve priſtinam redeat cum Virtutibus gratiam; Omnem me ipſum, an ad meliorem mentem reduci poſſit, moturum lapidem promitto. Nec deſperatum omninò negotium eſſe, ſpes hodiè mihi injecta; flecti animum, tractabilioremqve paulatim reddi audivi, modò ipſimet eam tantâ benevolentiâ Virtutibus comitatam, qvanto gaudio olim vitiis involutam, excipiant. Ite, Chariſſimi, fugit hora; hocqve uno verbo nunciate; Seriam pro eligendo Bono, Pio, juſto, pacisqve & Virtutum cultore Principe, impendant curam. Duo enim obverſari oculis, utrum eligant, in eorum ſitum eſſe manu: Primum eſt, Me, ſi ſponte nolit, omnemqve reconcioliationis ſpem cum Virtutibus præſcindat, *Rationem Status* vinculis *Pietatis*, *Fidei*, *&* *Concordiæ* traditam, ad eos remiſſurum, qvos à tergo Virtutum chorus, Plutus, Pax, Qvies, & ſi qvid amabile cogitari poteſt, inſeqventur. Me totum inſuper Copiæ cornu, ſuper meam Europam, ſi recipiantur, effuſurum, ſanctè ſpondeo. Ab alterâ parte erit egregium illud ſodalitium, ad qvorum nomina exhorreo, qvibus Parnaſſum meum ſtipata, accedere non erubuit; cui à tergo adſtabit Mars, Bellona, Peſtis, Fames, totus vitiorum chorus, Pluto cum omnibus furiis infernalibus; Si reſpuant Virtutes, vinculis R. S. liberent, priſtinoqve ſodalitio (hoc enim liberum illis eſto, nec qvenqvam ad Virtutem cogere, ſed ſuadere animus eſt,) reſtituant, ante depaſtam totam Europam me peſtes haſce minimè revocaturum, juro per thronum Patris mei invictiſſimi. Hæc ſumma veſtrorum erit mandatorum. Vos mandata tantâ dexteritate, uti hactenus expertus ſum, exponite, felicesqve qvàm primùm remeate.

Qvid multis, ocyus Euro, Pegaſeo Vecti eqvo, commiſſam legationem ſuſcipiunt, èqve conſpectu noſtro abripiuntur. Apollo interim, variis & exqviſitiſſimis blandimentis, *Rationem*

Status

Statum adortus & sæpius tentatâ mente, deprehendit tandem, mutare animum, inqve gratiam cum Virtutibus redituram. De hoc polum protestari, apud mortales procuret Cynthius, ut tanto cum honore & tripudio reditura cum Virtutibus excipiatur, qvanto in amore à plerisqve Orbis gubernatoribus Vitiis intricata hactenus habita, aulasqve eorum in posterum pacatè moderaretur. Licet seriò vereatur, ne ut olim Virtutes & ipsa, jam eis comitata, ab aditu multorum excludatur, & obseratas fores offendat. Ad qvæ; Mea hæc erit cura, respondit Phœbus, tu modò sinceram cum Virtutibus ini amicitiam, & absqve illarum placito qvicqvam decernere nefas tibi futurum, promitte. Adjutrices manus meas apud Mortales nunqvam defuturas ego sponsor sum omni exceptione major.

Hæc in octiduo, dum abfuerant legati, acta, Jamqve instabat hora, qvâ publicè invicem R. S. & Virtutes reconciliarentur, legesqve perpetuæ amicitiæ scriberentur; Cum Ecce Perseus, ante heliconis limina è Nubibus delabitur, deqve eqvo desiliens accelerato gradu Phœbum ubiqve cum anhelitu vestigat; cumq; ejus copia facta, præ gaudio gestiens, Magne divûm, pacata sunt omnia, sermonem orditur: Qvanto honore excepti sumus à Seren. Saxoniæ Electore, à Collegio Electorali, ab omnibus deniqve Germaniæ Principibus effari non possum, continuò præparata sunt omnia, in crastinum indictum generale Concilium omnium, qvotqvot congregati, Exterorum & indigenarum Principum, cumqve mandata tua exposuimus, actaqve hic nuper habita publicè perlecta, mirum qvanta animorum mutatio & malacia subsecuta. Pars erubescebat, pars expallescebat, seqve invicem respicientibus, vultusqve notas observantibus, verecundia altum omnibus indicebat silentium. Cumqve vererentur amplissimi hujus consessus Moderatores & Directores, ne, si ad exculpationem adigerentur publicè, plus justo exulcerarentur animi, proqve gravi deliberatione in tædiosam res degeneraret altercationem; Dissolutum tunc Concilium, monitiqve graviter, descendat qvisqve in sese, curamqve à semetipso qvisqve auspicetur, fore ut emendati singulatim, conjunctim, mandato Phœbi me-

bi melius obſeqvantur. Nec monitum effectu caruit, craſtino die, acervatim, pars noctu, pars ementito & perſonato habitu nos inviſunt, qvodqve heri pudor publicè prohibuerat, hoc clanculum moniti fatebantur omnes, culpam deprecabantur, utqve apud te expiaremus, orabant ſupplices; omnem culpam in depravatam RATIONEM STATUS & ejus domeſticos rejicientes, à qvibus decepti, tanta tamqve turpia qvandoqve admiſerint. Orare etiam atqve etiam, remittas modò, ſive vinculis traditam, ſeu ſponte *Virtutibus* obſeqventem, ſe ſine Virtutum conſortio, nunqvam illam ſuſcepturos. *Privatum verò commodum*, *Occultum odium*, *Invidiam*, *Avaritiam* & qvicqvid colluviei eſt, orare, æternum Diti devoveas. Exploratis ita omnium ferè, præſertim Exterorum mentibus, clam monuimus Seren. Electorale collegium, inſtaret, dum ferveret opus, nos ſperare, conciliationem Univerſalem, qvodqve in nobis ſitum ſit, manibus pedibusqve allaboraturos, ut diſponantur privatim mentes, qvo eorum pro ſalute Reipublicæ facilitetur cura.

Nec oſcitanter noſtra excepit monita Collegium, omni gloriâ digniſſimum, ſed noctes atqve dies in radicitùs exſtirpandis animorum livore, rancore & ſimultate, removendis fomitibus bellorum & diſſidiorum, qvoqve omnibus ex æqvo & bono ſatisfiat, indefeſſo labore jam deſudat. Eoqve ferè deductum negotium, ut Imperatorem Pium, bonum, prudentem cum pace generali, aut ad minimum Germaniam tuam extra belli aleam, certo certius ſperem propediem. Qvod tibi, maxime Divûm, relaturus advolavi, ſodalem meum confirmaturum animos, poſt me relinqvens, & in hoc ſolùm anxius hæreo, nunqvid de auſterâ obſtinatione remiſerit *Ratio Status*.

Apollo lætatus felici ſucceſſu & ſermone Viri, actis gratiis, audies ex ipſâ, inqvit, qvantum mutata, citò adducite eam, tu modò repete audacter præſente eâ, expeditionem Francofurtenſem; Cumqve dicta Matrona cum Virtutibus propius ad thronum acceſſiſſet, Perſeusqve, qvid actum, interatâ voce retuliſſet, ſibiqve omnem calamitatum culpam imputari, inqve ſe declinari, præſens audiviſſet: Ingemuit, & oculis, lachrymis rorantibus, in genua procumbens, ſicq; exorſa.

Alme

Alme Pater, impudentiæ eſſet, admiſſa & delicta mea ulterius diffiteri, nimis ſunt in aprico, ſeculi malitia & domeſticorum meorum blanda calliditas, me miſeram deceperunt, Condona, Pater optimè, Condonate Virtutes ſuaviſſimæ, antea acta infecta fieri non poſſunt, in poſterum ero obſeqventiſſima, meqve nihil niſi ſuadentibus & imperantibus ſororibus hiſce commiſſuram, hoc ipſo juro ſanctiſſimè. Et qvid reſtat, qvin evolemus, Chariſſimæ, auxilio futuræ noſtris Germaniæ Atlantibus, cumqve arctius amplexa Virtutes, ſolicitabat inſtantiſſime Phœbum, ut dimittat, ſe omnia, admiſſâ conciliatione exaſperatorum animorum, ſatis ſuperqve compenſaturam promittens. Qvid ulterius actum, qvomodo leges Conciliationis matricolæ Actorum Parnaſſi inſertæ, præ concurſu & murmure gratulantium & gaudentium, penetrare non potui, hoc certiſſimum, nemini Virtuoſorum præ gaudio non manâſſe lachrymis oculos, nec tantum tripudium multis retrò ſeculis in Helicone obſervatum.

Ego verò ut celeritate Adventum Virtutum præverterem, ocyus iter aggreſſus, me è Parnaſſo ſurripui, plenus ſpe exoptatiſſimâ, qvam tamen (ut nihil ſit perfecti) moleſtiſſimè turbavit moroſus Plato, extra Parnaſſum ambulans, qvi me properantem lacinia apprehendens, anxiumqve detinuit, & qvid actum ſciſcitans, ad qvæ retulit, vereor, ne R. S. vulpinam aſſuerit pellem, cum Leoninam non ſufficere viderit; Cui tamen moræ pertæſus, omnia tuta times, cum tamen Apollo conſtituerit, Te fore præceptorem illius Matronæ, & ſi nolit obtemperare, ferulâ ut caſtiges, impoſiturum. Cumqve ſidera procul gaudio Parnaſſi reboare audirem, explicavi me à moleſto, priſtinâqve ſpe erectus advolari huc, vobis gaudia hæc relaturus, non vulgaria, faxit DEUS, ut ſincera & perpetua.

FINIS.

F. XII. 20

Biblioteka Jagiellońska
stdr0006989